

Jacob Lembke

**Rector Universitatis Rostochiensis, Jacobus Lembke/ U.I.D. & Antecessor, ad Exequias, Quas ... Matronae, Catharinae Colzoviae ... Vir ... Dn. M. Michael Wagnerus, Ad D. Jacob. & S. Cruc. Ecclesiast. fidelissimus, Omnium ordinum Cives Academicos Studiose atque humaniter invitat : [P. P. d. 11. Nov. Ann. 1682.]**

Rostochi[i]: Keilenbergius, [1682]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770463398>

Druck Freier  Zugang



Lembke, J.,  
in C. Colzov,  
uxor. M. Wagner.  
R. 1682.







103.

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,  
JACOBUS Lembfel



J. U. D. & Antecessor,  
ad Exequias,

*Quas*

*Summa ac omni virtutum laude maxime  
conspicua Matrona,*

CATHARINÆ  
COLZOVIAE,

Dilectissimæ hactenus, nunc Desideratissimæ  
Uxori suæ parabit hodiè

*Vir Pl. Reverendus atq; Amplissimus,*

DN. M. MICHAEL  
WAGNERUS,

Ad D. Jacob. & S. Cruc. Ecclesiast.  
fidelissimus,

Omniu m ordinum CIVES Aca-  
demicos Studiosè atq; vehuma-  
niter invitat.



ROSTOCHI,

Typis Viduæ B. FRIDERICI KEILENBERGI, UN VERS. TYPOGR.



Vem intinavit hesternus,  
MARTINI LUTHERI *Natalis*, dies,  
postquam reversus hodiè in  
orbem est, MARTINI Episcopi  
*emortualis*, intimari exequia vo-  
lunt NOBILISSIMÆ pariter ac OMNI  
VIRTUTUM DECORE NITIDISSIMÆ  
MATRONÆ; quas prosequi eo  
minus quisque gravabitur, quò  
pluribus ad id officii se instigari deprenhendet. Omis-  
sis en. ceteris, quæ, uti sæpius occurrunt, ita attingi  
sæpius & longius deduci solent, spectantque forte  
illud, ipsis etiam Ethnicis commendatissimum (*vid.*  
*D. Joach. Hildebr. Art. Mor. c. 2.*) mortalitatem medi-  
tandi studium; Si vel DIEI saltim rationem, vel quoq;  
BEATISSIMÆ historiam respiciamus, ex quò amplissi-  
mam incitamentis materiam determinare liceat, non  
deerit. Atque, dum utriusq; paulò ponderamus  
circumstantias, in mentem veniunt verba, abs qui-  
bus sermonem orditur *centesimum vigesimum Petrus*  
*Chrysologus*: *Natalem sanctorum*, inquires, *cum audi-*  
*tis, Charissimi, nolite putare illum dici, quò nascuntur in*  
*terram de carne, sed de terrâ in cœlum, de labore ad requi-*  
*em, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias,*  
*non fluxas, sed fortes & stabiles & aternas; de munda-*  
*nis risibus ad coronam & gloriam. dignissima profectò*  
*quæ de cujusvis obitu in Domino placidè ex hâc*  
*vita*

vitâ discedentis non absq; adplausu pronuncientur!  
Eqvidem, Martyribus olim potissimum hic honos tributus, ut NATALITII vocarentur Dies solenniterq; celebrarentur in Ecclesiâ, qveis glorioso illo pro honore DEI certamine in morte perfuncti essent. Quorum etiam ipsius Chrysologi intentio directa est: *Tales, pergentis, Natales dignè Martyrum celebrantur.* Neq; docet aliud Eusebius, Smyrnensis Ecclesiæ ad ceteras Epistolam (lib. IV. Hist. Eccles. c. 15.) describens; quâ illa nunciat: *se ossa Polycarpi concremati geminis pretiosissimis cariora, ac quovis auro puriora, ubi decebat, condidisse; nunc optare, ut eò locò convenientibus ejus Martyrii diem celebrare Deus concedat!* Et in Compendio rem ut eloquamur cum Chemnitio nostro (Exam. Concil. Trident P. III. passim, imprimis de Origine invocat. Sanct.) Ecclesia annum Martyrii diem pulcherrimâ adpellatione vocavit *γενέθλιον*; diem Natalem; eo quod miseram hanc vitam cum morte commutassent, & ex morte in veram & cœlestem vitam verè iam regenerati essent. Quid hisce clarius? Interim tamen quoties causâ hanc impositi nominis attendimus, relictâ, ut fas est, piis illis animabus victoriz insignitioris laude, ad reliquos quoque militiæ Salvatoris Nostri addictos, quando & ij molestias hujus vitæ fortiter per Eundem superârunt, extendi ipsum nomen posse, extra dubium omnino positum videtur. *Credantur illi nasci, cum moriuntur, quod, non ad presentem vitam materno effusi sint*



*ex utero, sed conceptu fidei, Martyrii partu cœlestem noscantur generati ad gloriam; quod, non eos materna canabula susceperint vagientes, sed superna triumphantes secreta receperint: quod, non infirmum lactis pastum genitricis traxerint ex pectore; sed pro Rege suo devotissimi milites virtutis sanguinem fuderint. Dicantur vivere, quia mortem cœlestis militia bellatores occiderint (lege 133. Chrysol. serm.): ubi exceperis de Martyrio & sanguine insperata, eandem nascendi felicitatem contingere omnibus, qui eodem ad cœlestia Desiderio feruntur, dum hunc abeunt, facillimè largieris. Inventum hunc Natalitii titulum abs Christianis, sunt, qui arbitrantur, ut inter se & Ethnicos discrimen quoddam demonstrarent; quandoquidem hi vitæ quidem Principium, non item lethi Diem læti contemplabantur. Sanè, quem horrore non afficiant illa Iphigeniæ apud Euripidem.?*

*Gratissimum est hominibus intueri hanc lucem.*

*Sed nemo ea, quæ infra. Insanit enim, qui cupit*

*Mori. Melius est malè vivere, quàm benè mori?*

*Quem non commoveat illa urnæ inscriptio? vita dulcis, vivere soave, mori suspiciosum. Scilicet, hos appellat, qui solatio destituantur, Apostolus. Solatii ergo sui fundamenta brevi formulâ exhibiturus rectius iis saniusque sperans bona optima DEI populus, de morte immortalia, de abitu ex vitâ, quæ ægritudo est, aditum ad vitam, quæ summa sit sanitas, summa tranquillitas, prædicabat. Et hæc ipsa spes sicuti, negari nequit ulli horum, qui salutaribus Ecclesiæ thesauris fruuntur, ita ipsorum quoque mors quid? nisi VITÆ RESTAURATIO dicenda est. Sustollit omne, quod corruptioni est expositum, ut renascatur quod corruptionis omnis deum sic expers. dissolvit inconstantem partium in nobis nexum, ut in restitutâ unione cesset omnis inconstantia: tentat, quanta in nos valeat, ut, ubi se valere nihil, postquam victa est ab eò, qui morti fuit mors, advertit, tanquam victores nos abs se in resurrectione dimittat. Verbo: *Mortis finis est, ita Hilarius (L. II. de Trinit. alleg. Centur. Magd. Cent. 4. c. 4. f. 272.) resurrectione,**

*Etio,*

*Etio, & certissimum militia nostra stipendium est incorrupta aeternitas.* Sic  
 Natalem nuncupaveris non immerito diem illam, quã ex Natis de  
 matribus ut renatus ex spiritu & quã ad Natorum DEI gaudia vocatur  
 Christianus: In primis, eadem si vitæ simul hujus Natalis fuerit. Ut  
 enim redeamus jam ad id unde digressi sumus, Natalis quoque hodiè  
 festivitas nobis indicitur ipsas inter exequias. Hâc die novimus, na-  
 tum pridie, Lutherum regeneratum ad vitam spiritus, ut quem Huf-  
 fus, anser in necem datus, præfagierat redivivum è cineribus olo-  
 rem, existeret, ceu Norici apud Gramondû (*Hist. Gall. L. 2 p. 178*) numis-  
 matis lemma habet: *Olor virtute divina invictus.* Hâc Martinum alte-  
 rum legimus mortuum, ut eadem alterum cupidius amplecteremur,  
 deque viâ, ad vitam præmonstratâ, nobis gratularemur. Hâc deniq;  
 quieti suæ tradendam esse OPTIMAM MATRONAM inaudimus, quæ  
 lucem hanc ejusdè in confinio aspexit, paulo ante ipsam nupta fuit,  
 & imminente iterum nativitatis suæ lumine mundanis valedixit; aut  
 ut edisseramus quod res est: *Natalem inchoavit nullò tempore terminan-  
 dum.* Loquetur vitæ virtutes, quæ cultores suos mori vetant, loquen-  
 tur hæc fidem, quæ Christo Capiti fideles jungit, certissima mystici  
 corporis membra: atq; ea exceptam à Salvatore Nostro Beatissimâ  
 Nostram testabitur. Quò evidentius testari possit, regredi placet ad  
 annum hujus sæculi XX. quem Nobilissima Fœmina, CATHARINA  
 KOLTZOVIA vitæ numerat primum, at o! quantis turbis. jam præ-  
 sentibus, proximè instantibus refertum! habebat nimirum futuræ æqua-  
 nimitatis omen, adversa & sinistra; ne unquã frangeretur iis, si quon-  
 dam aliqva ferenda forent. Patriam nacta est Rostochium nostrum,  
 inque eo Patrem Præ Nobilem atqve Præ Clariss. Virum, DN. COS-  
 MUM KOLTZOVIUM, Juris utriusq; Candidat. Digniss. & Sedecim-  
 Virum apud Nos optimè meritum. Matrem verò Nobilissimam item  
 Fœminam ILSABEN; è Generosa Prosapia de TRIBBESES. Avum Pa-  
 ternum coluit DN. NICOLAUM KOLTZOVIUM, Virum è civibus  
 & Mercatoribus primariis eumq; singulari dexteritate ac fide con-  
 spicuum. Aviam autem Paternam insignis exempli & probitatis  
 Matronam DOROTHEAM SCHMIDIAM venerata est.

Verus ipſi exiit Vir Generoſus. DN. GVERNERUS De TRIBBESES:  
 Aviaque materna, Generoſa Fœmina CATHARINA de BUTZOV,  
 Proavo Paterno gaviſa fuit DN. HINRICO KOLTZOVIO, Cive iti-  
 dem & Mercatore integerrimo: Materno autem Proavo, Genero-  
 ſo viro, DN. JOHANNE de BUTZOV. Qvos omnes pietas com-  
 mendat famæq; & bonæ & celebris ad poſteros propagandæ ſince-  
 rum Studium: ut pia & optimæ famæ olim evaderet Noſtra, quæ ipſis  
 debet originem. Sed in peccatis quoniam omnes concipimur, filijq;  
 vitæ reddi non poſſum9, ni abluti Baptiſmo, ſpei futurorū initiemur;  
 Koltzovia quoque ad conciliatorem regni cœleſtis, ut Baptiſmum Baſi-  
 lius (*homil. 13. in Exhortat. ad Baptiſm.*) nominat, miſſa; à puritate,  
 quâ donata per eundem fuit, CATHARINÆ nomen retulit: utque  
 ſervaret in poſterum & conſervaret, educatio laudatiſſimorum Paren-  
 tum, (unica alrix felicis indolis,) effecit: quibus utinam conſpicere  
 vivis licuiſſet provenientes inde exoptatiſſimos fructus! At enim  
 Septenni Catharinæ Noſtræ eripitur Pater; nec multò poſt Mater  
 quoque; Sicque ipſa unâ cum duobus Fratribus; Alterò nunc Me-  
 dicinæ Doctore, Viro Nobiliſſimo atque Experientiſſimo DN. NI-  
 COLAO KOLTZOVIO; Altero famigerabili Mercatore, DN. GVER-  
 NERO KOLTZOVIO, & hęc quidem inter Nos degente, beatiffimæ-  
 que Sororis funus non abſque luctu comitante; Orphanorum fata  
 ſubito nimis ſubjicit. Nec derelicta tamen vixit; ideò enim deſerti in-  
 terdum ab Deò videmur, ut certius ejusdem providentiam ac curam  
 per varios caſus ducti ſentiamus. Quæ igitur Pater non potuit, quæ  
 nec Mater; quod brevioris ævi eſſent; ea continuavit laudatiſſimi cu-  
 juſdam Senatoris laudatiſſima Vidua, ANNA BOLTENIA, affectu Ma-  
 ter, tamque proſpero ſucceſſu abſolvit, ut omnibus grata, multis de-  
 ſiderata evaderet KOLTZOVIA: KOLTZOVIA, quæ in ordinis ſui  
 laudem & decus ematureſcebat. Factum inde, ut Pl. Reverendo &  
 Ampliſſimo Viro, DN. M. MICHAELI WAGNERO, antihac ſub-  
 Con-Rectori Scholæ Oppidanæ per annos XI. bene merentiſſimo;  
 poſt per XIX. annos ad D. Cathar, nunc per X. ad D. Jacob. & S. Cru-  
 cis ad. Eccleſiaſtæ fideliffimo, in Matrimonium placeret, Anno hu-  
 jus

jus seculi XLI. solemniter cœptum. Quò Amore verò, quâ veConcordiâ per totidem (41) annos unumq; mensem, & qui excedunt, dies, transactum sit, indicio est, liberorum ac Nepotû septenarius, quò benedictionis Princeps atq; Dator Conjunctissimos hosce Conjuges exhilaravit. Tametsi autem primogenitus, Venerando Patri Cognominis, trigessimam vix & sextam septimanam attigit, in altero tamen Filio, Cl. SAMUELE NICOLAO, matris discessu afflictissimo, posita hætenus fiducia eventum nuper vidit speratû, cum summos in Philosophia honores Gryphisvaldiæ ex merito obtineret. Dabit Deus, ut efficaciam votorum a beatiss. Matre fuorum Coronis tandem prospera experiatur. Quod filias attinet, sexus ornamenta, Matris delicias, Earum prima, ANNA MARGARETA, Præ Nobili Viro. DN. JOH. HENRICO **Priestaff**/Jur. C. Marito suo longè dilectissimo, Michaëlem Hartvvigium, & Catharinam Barbaram, utramqve saltim aliquot annorum prolem, peperit. Altera, CATHARINA ELISABETHA, Consultissimo Viro, DN. JOACHIMO SCHWOVIO, Notar. Publ. Cæsar. & Præfecto Neo-Caldensi juncta, in vitâ Filii, Michaëlis Christiani, suam mortem invenit, mox subsequente Maritò, nec multò post, filiolo. Tertia DOROTHEA SOPHIA Viro Multùm Reverendo atq; Cl. DN. M. FRIDERICO NICOLAO IDELERO, Pastori Hohendemzinensi & Bistoviensi Conjux data; quæ amisit quoque duos Filios, Michaelum Nicolaum & Fridericum Nicolaum, fovet adhuc duas filias, Catharinam Sabinam & Annam Dorotheam, quæ Aviam amatissimam tristissimæ deplorant. Quarta, MARIA CHRISTIANA, quindecim annos nata, ad sedes illas abiit, in quibus nulli discessui, nulli calamitati locus, ut beatissimam matrem inter lætities & plausus exciperet, ipsa beatissima; cum quarta, JOHANNA MAGDALENA, innupta adhuc, damnatam se doleat perpetuo Matris Charissimæ desiderio. Quò tamen non Domus saltim WAGNERIA, sed universa etiam Civitas tangitur, quæ hoc VIR TUTUM EXEMPLAR suis oculis subductum luget. Abstineamus verbis, ubi rerum adsunt testimonia, cumq; si devotionem spectes, Hannæ; si beneficentiam, Tabæ, si amorem Salvatori dedicatum, Mariæ; si domesticæ rei curam, Marthæ; si humanitatem, Rahe-

li; si pudicitiam, Susannæ, se, quoad vixit, æmulam gesserit; æmuletur memoria his benè factis debita, constantiam, quam unice dilecto Marito suo, Viduo nunc eheu! s. in Bohemiam profecto Comitum se præberet, s. aliis casibus morbisve afflicto promptissimè succurreret, immutatam usq; demonstravit: hoc solo inconstans visa, quod ad extremum usq; non perduraverit. Sed ita Deo visum, qui patientiam hanc infucatam tandem in gloriâ extra cruciatus coronatam latificare voluit. Hinc morbi incrementa, virium decrementsa, vitæ exitus; quæ exprimere libet non tam nostris, quam ipsius Medici verbis, Viri Excellentissimi atq; Experientissimi Dn. D. Sebastiani Wirdigij, P. P. & Archiatri, Dn. Collegæ Nostri honoratissimi. Ita enim ille: Morbus, quo Matrona pientissima, Pl. Reverendi Dn. M. Wagneri desideratissima conjux occubuit, endemium malum, Scorbutus fuit. Ille crebris symptomatibus Beatam jam nostram hætenus aliquot annis afflixit, eamq; sæpius lecto affixit. Cum primis autem iteratis febrium invasionibus obnoxiam reddidit, quas remediis tamen convenientibus semper superavit. Malum interim hocce sensim viscera adeo corruptit & debilitavit, ut cachectica tandem evaderent, & hypochondria Tympanitum mentirentur. Demum ante aliquot septimanas febris accessit hectica, quæ corpus alioquin viribus exinanitum consumpsit, & exiguum quod superfuit vitalitatis planè exhaustit, & ita animam ad cælites evolare, & redire ad DEum, à quo olim acceperat eam nostra Beatissima, permisit. Et verè permisit, non mortua, sed ad meliorem vitam translata: idq; Vestro, MOERENTES, solatio. Qui mori potuisset, quæ contra mortem muniri cupiens, à Pl. Rev. Dn. Confessionario suo Dn. J. M. HENRICO CARMOHN, ad D. Jac. Archid. longè merentissimo, nunc electo Pastore, viatico instructa optimo, viam ingressa est ad cælum? Verè permisit, non mortua; sed ad natales perpetuos evecta, vestro, CIVES optimi, incitamento: ut non tam ad justa, quam festum eò promptius compareatis. Vocat diei ratio invitant Beatiss. WAGNERIÆ virtutes & constans in fide animus; impellunt mœstissimi Vidui merita, relictorumq; omniùm mœrorum ingens: ut igitur frequentes in Jacobæo templo confluere & γενέθλιον hunc Diem celebrare benevoli velitis, est quod rogamus, monemus.

P. P., d. II. Nov. Ann. 1682.





GUSTAV KOCH  
Buchbinderei  
ROSTOCK.





7.  
jus seculi XLI. solemniter coeptum. Quò Amor  
dià per totidem (41) annos unumq; mensē, &  
transactum sit, indicio est, liberorum ac Nepot  
nedictionis Princeps atq; Dator Coniunctiffi  
exhilaravit. Tametsi autem primogenitus, V  
gnominis, trigessimam vix & sextam septima  
rotamen Filiò, Cl. SAMUELE NICOLAO, ma  
simo, posita hætenus fiducia eventum nuper vi  
mos in Philosophia honores Gryphisvaldiæ ex  
bit Deus, ut efficaciam votorum a beatiss. M  
nis tandem prospera experiatur. Quod filias  
menta, Matris delicias, Earum prima, ANNA  
Nobili Viro. DN. JOH. HENRICO **Priestaff**/J  
gè dilectissimo, Michaëlem Hartvvigium, & C  
utramqve saltim aliqvot annorum prolem, p  
THARINA ELISABETHA, Consultissimo Vir  
SCHWOVIO, Notar. Publ. Casar. & Præfecto Ne  
vitâ Filiù, Michaëlis Christiani, suam mortem inv  
te Maritò, nec multò post, filiolo. Tertia D  
Viro Multum Reverendo atq; Cl. DN. M. FRI  
IDELERO, Pastori Hohendemzinensi & Bisto  
qvæ amisit qvoqve duos Filios, Michaelē Nic  
Nicolaum, fovet adhuc duas filias, Catharina  
Dorotheam, qvæ Aviam amatissimam tristissim  
ta, MARIA CHRISTIANA, qvindicim anno  
abiit, in quibus nulli discessui, nulli calamit  
mam matrem interlætitiis & plausus excipe  
cum qvarta, JOHANNA MAGDALENA, inn  
tam se doleat perpetuo Matris Charissimæ de  
non Domus saltim WAGNERIA, sed univërfa e  
qvæ hoc VIRTUTUM EXEMPLAR suis oculis subdu  
mus verbis, ubi rerum adsunt testimonia, cum  
ctes, Hannæ; si beneficentiam, Tabæ, si amor  
um, Mariæ; si domesticæ rei curam, Marthæ; f

Concor  
unt, dies,  
s, quò be  
Coniuges  
Patri Co  
, in alte  
adfectif  
um sum  
neret. Da  
n Coro  
us orna  
TA, Præ  
suo lon  
arbaram,  
tera, CA  
CHIMO  
uncta, in  
bsequen  
SOPHIA  
NICOLAO  
ux data;  
idericum  
Annam  
Qvar  
fedes illas  
beatiffi  
issima;  
damna  
tamen  
tangitur,  
Abstine  
nem spe  
dedica  
em, Rahe  
li;

